



DISSESSATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE
**NUPTIIS SENUM SE-
CUNDIS RARO SECUNDIS,**

QVAM AUSPICE DEO PROPIO
Auctoritate Graiose Facult^t Medice,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
Præside

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
Sacr. Maj. Reg. Boruss. Aul. & Consist. Magd. Consiliario,
Med. & Philos. Nat. Prof. Publ. Ord.

Decano h. t. Speciatissimo,

Dn. Patrone, Praeceptore ac Promotore suo, honoris cultu
prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

Hor. Loc. consuetis A. 1743. d. Jun.

Publice Eruditorum Ventilationi subieciet

Auctor

ALEXANDER JO. AUGUST. HÜNNER,
STADENSIS.

Ex. Flora, Minerva, Anumania dat Medicina.

In TRIADIS levatora suppeditas horum
Stat. Medicorum temp. Joh. Cary & Soni dicitur



PROOEMIUM.

Mihil de *Senum nuptiis* cogitanti in mentem incidit *impuberum despontatio*. Sunt duæ periodi, quæ ratione ætatis longe disterninæ, respectibus vero medicis satis conterminæ sunt. Datur ætas matrimonio commoda, & minus commoda. Et cum ob rationes medicas impuberum ætas matrimonio haud commoda, hinc L. DDres in definienda impubertatis periodo non levem locarunt operam. *Jus civile*

A 2

vile impubertatis terminum secundum annos mensurat. Divus Imperator JUSTINIANUS finem impubertatis in masculis XIV. in fæminis XII. annum, quo tempore rehircire & catulire incipiunt, i.e. in venerem accenduntur, ponit, *Instit. Tit. d. nupt.* *Tit. quibus modis tutela finiatur;* *Jus Canonicum vero C. X. d. desponsat.* *impuberum impubertatis periodum mensurat secundum generandi capacitatem,* quare *Hofstiensis Libr. IV. desponsat.* *impub.* dicit, non attendi annorum numerum, sed pubes dici etiam minor XII. aut XIV. annis, si modo malitia suppleat, quæ ætas negabat. *Conf.* etiam BARTHOLUS, MENOCHIUS, alii. Interim tamen matrimonium cum impubere initum, irritum est, sec. *Jus Ecclesiast.* quod etiam sustinet ALEX. CARRERIUS L.V. de sponsal. c. XV. Et Ecclesia specialiter sic constituit, cum in tam tenera ætatis periodo tantum menti non constet robur, quantum ad grave matrimonii jugum requiritur. Præcipuum etiam secundum respectus medicos est, quod præmaturæ veneris, anticipati coitus damna totum

totum corpus afficiant, ita ut omnes fun-
ctiones exinde luant. Vid. *Ill. Dn. PRÆSID.*
Syst. Jurispr. Med. Tom. I. C. II. Cum vero
Senum *nuptiæ* varia involvant, quæ bono
senum, ex medicinæ fontibus haurienda
conducunt, hinc Speciminis Inauguralis lo-
co, quædam hac de materia differere B.c.D.
constitui. Juvenis quidem ad hujus materiæ
tractationem accedo, sed neutiquam seli-
gendo Themati pruritus ansam dedit. Aut
dubitem, pudorem mihi genuisse provi-
dentiam? Castus accedo, *juramenti Hip-*
pocratici satis christiani haud immemor:
Apollinem Medicum - - juro, - - sancte
vitam, & artem meam conservabo, ab omni-
que - - corruptione, quum alia tum præ-
fertim operum venereorum abstinebo, &c.
Non *ÆSCULAPIUM* Agnitem colo, sed
Deum, pudicitiæ ingenitorem. Velim ut
meditationes meæ, ut *CICERONIS* verbis
utar, suam quandam maturitatem, & qua-
si senectutem habeant, sed faciam quoad
potero. Faxit castissimi Dei Numen, ut
omnia cedant secunda.



t Medici Clinici, & Medici forenses, & L.
 L. D. Dres multa & varia de Senibus scri-
 pserunt, commentatique fuere. Medici
 agunt de ea etatis periodo, quæ Senium constituit;
de Senectute viridi, vid. *Ill. Dn. PRÆSID.* *Diss. de Sene-
 ctute viridi*; *de Senum morbis*, vid. *RANCHINUS*
de Senum morbis; *CAMERARII Valetudin. senex*;
STAHLII Diss. de Senum affectibus; *de Senum diata*;
 vid. *SCHULZII Diss. de Senum diata*; *Medici foren-
 ses* agunt de *impotentia Senum*; *de stupro Senum*; *de Se-
 nibus*, an *sunt optum territionis vel torturae subjectum?*
 quippe qui sec. *L. si quis in gravi §. ignoscitur ff. ad S.*
C. Syll. & sec. *C. C. C. V. art. LIX.* a tortura, territione,
 certis torturae gradibus exenti sunt. An *incarce-
 randi?* vid. *Dn. PRÆSID. Syst. Med. For.* *Ej. Commen-
 tat. in C. C. C. V.* *Ej. Diss. de apriis torturae subjectis.* *L. L.*
Dres agunt de *jure ac privilegiis Senum*, vid. *G. A.*
STRUVII Tract. de jur. & privileg. senectut. *TIRA-
 QUELLUS de privileg. Sen. in Tr. de primogen.* *MAR-
 TINI Diss. de jur. Sen.* *SCHOEPFERI Gerontol.* *I.*
Tr. de jur. Sen. *PETR. SCHWENNER de matrimo-
 nio Senum*; *CONR. PHILIPP. HOFFMANNI*
Tr. vom Heyrathen alter Personen; Et sic sec. *Jus Cano-
 nic. a lege jejuniorum exenti.* Cum enim Divino-
 rum Interpres, Ecclesia, ceu pia & indulgens ma-
 ter, naturæ humanæ conscia, & misera est, hinc
 gravidas, lactantes, ægotantes, & *Senes* a jejuniū
 lege relaxat.

t A

§. II.

Inter praecipua hæc momenta sunt etiam *nuptia* *Senum*, præsertim *secundæ*. Omnibus retro-secu-
lis nuptiæ cujuscunque ætatis secundæ vapulant.
A T H E N A G O R A S vocat nuptias secundas *bonestum*
adulterium. **C O N S T A N T I N . P O R P H Y R I G E-**
N I T A eas æquat cum *latrina*. Sicut latrina non
ornamentum domus est, sed locus excernendis scy-
balis destinatus: ita Ecclesia illas tolerat, non ut lau-
dentur, sed concupiscentia habeat, ubi ardorem
impudicum restinguat. **Quam severe D I D O in vo-**
ta secunda ap. **V I R G I L . A E N E I D . L . IV .**

- - agnoso veteris vestigia flammæ
Sed mibi vel tellus optem prius ima debiscar,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras
Pallentis umbras Erebi, noctemque profundam,
Ante pudor quam te violo, aut tua jura resolvo.

Matrimonium totum omni ludibrio affecerunt, qua-
re **A U G U S T I N U S** L.VI. de civitat. Dei C.IX. nar-
rat: *In solemnitate nuptiarum adhibebatur priapus masculus*, super cuius immanissimum & turpissimum fascinum
sedere nova nupro jubebatur more honestissimo, & religio-
sissimo matronarum. Et cum secundæ nuptiæ tam ma-
le audiverint apud Ethnicos, *S. S. P. P.* illud odium
providenter avertere studuerunt, vid. *Decret. Concil.*
Nicen. C.VIII. **S. H I E R O N Y M U S** inquit: *Damna-*
mus secunda matrimonia? minime, sed prima laudamus.
Præterea ex *Jur. Canonic.* constat, quod s̄ape nubenti-
bus penitentia indicia fuerit; insuper prohibicium, ne con-
vivio

vivio secundarum nuptiarum interessent Presbyteri, nec
iis benedicerent.

§. III.

Quod nuptias Senum attinet, varia circa eas in L. Doctorum monumentis prostant, & apud Theologos, Canonistas, Casuistas, Medicos quæstio agitata fuit, an *Senes matrimonialiter contrahere possint?* Silentii conopeo haud quidem involvendum, quondam *Lege Julia, Papia Poppæa*, it. Pompeja matrimonia Senum prohibita fuisse; sed Divus Imperator JUSTINIANUS hanc Legem correxit, & sexagenariis permisit matrimonium, vid. L. SANCTIMUS, XXVII. C. de nupt. *Ius Canonic.* matrimonia Senum non damnat. Nullibi expresse ejusmodi conjugia improbantur, sed potius dicitur: *nuptiarum bonum semper esse quidem bonum, sed in populo Dei fuisse aliquando legis obsequium, nunc esse infirmitatis remedium, in quibusdam vero humanitatis solarium,* C. XLI. caus. XXVII. qu. I. Nec obstat. C. I. & VI. Caus. XXXII. qu. II. ubi conjugium sine spe proliis contraëtum fornicatio, imo concubium appelleretur. Hoc enim precastio nicitur principio, ac si in senibus indiscriminatim vis generandi deficiat. Ejusdem census sunt AMBROSII verba sup. *Luc. L. I. ad C. I.* *Qui non causa procreande sobolis, sed explendæ libidinis sibi invicem copulantur, non tam conjuges, quam fornicarii videntur.* Certe! Tabulis nupcialibus inseri solita formula hæc erat: *Liberorum procreandorum causa.* Sed multi senum generandæ proli adhuc apti sunt, uti hinc illine exempla Senum prolificorum leguntur.

ARI-

ARISTOTELES Senum prolificorum L.X.
 LXXX. annorum mentionem facit. Viros cente-
 narios genuisse masculos AVENZOAR narrat. COR-
 NELIA e Scipionis familia anno etatis suae LXII. vo-
 LUSIUM Saturninum peperit, teste PLINIO.
 Plura ejusmodi exempla commemorant ROD. ACA-
 STRO, CODRONCHIUS, SCHENCKIUS, alii.
 Hinc si senes hisce legibus stringerentur, quos senium
 ad procreandam sobolem inhabiles reddidit. Hinc
 Jure Civili Romano senum matrimonia nullatenus
 improbantur. Testantur de communi obseruantia
 BEUST *ad L. III. ff. de jurejur.* HARPRECHT *ad pr.*
I. de nupt. CARPOV. *L. II. Conf.* STRYCK. *in not.*
ad Brunnemannii Ius Eccles. L. II. C. XVII. Præterea
 sententia longo usu ab Ecclesia comprobata fuit,
 quod sola senectus nuptiarum valori nullo modo ob-
 fit, quam sententiam sequitur etiam ENRIQUEZ
L. XII. de maritim. Si vero etiam primarius matrimo-
 nii finis non obtinetur, tamen senes matrimonialiter,
 valide contrahere possunt. Succedunt enim fines
 obtinendi matrimonii secundarii, ut mutuum obse-
 quiuum, mutuum adjutorium, remedium concu-
 piscientiae, cura & custodia rei familiaris. Expressi
 etiam *J. C. textus extant*, quibus deciditur: *quod si*
vir sit frigidæ naturæ, & uxor non idonea ad viriles am-
plexus, ita ut non possit alter alterum babere ut mari-
tum, aut uxorem, babeat saltem ut fratrem, aut sororem
C. IV. de frigid. Sed missa hæc facio, pedem motu-
 rus ad princeps Dissertationis meæ argumentum, ni-
 mirum ad *disquisitionem medicam*, quod *Senum nuptiæ se-*
cundæ sint raro secundaæ.

B

§. IV.

§. IV.

Non levem operam posuerunt & Medici, & LL. DDres in *definiendis æratum periodis & gradibus*. Aetatum nec definitio, nec divisio inter ipsos convenit. Sic etiam cum senectute factum est. *Jcti definiunt senectutem, quod sit ultima hominis ætas, inchoans ab anno L, & finem suum determinans in anno C.* In annorum computo etiam a se invicem dissident, alii enim senectutem dividunt in *primam* ab anno L. ad LX, & in *secundam* ab anno LX, LXX, & *tertiam* usque ad extremum ætatis exitum. Alii aliter. vid. MENOCH. de *Arbitr. Jud. L. II. Cas. LIX.* n. I. MARTINI *Dissert. de Jur. Senum singulari.* ALBERTI *Syst. Med. Forens.* alii. Et nemo hunc disensem mirabitur, cum nihil certi in Jure dispositum reperiatur; nam ubi senum mentio injecta, non ubivis iudem ætatis termini observantur. Imo statuant, quod senectus non ex defectu virium, corporis & animi, memoria scil. & judicii, neque ex asperitu, canitie nimirum, nec ex præsumpta generandi impotentia, sed ex sola multitudine annorum astimetur, hac sub juncta ratione, quod juvenes haud raro cani fint, corporis robore destituantur, ut ex potentia generandi, qua Senes sæpe abundant. Sed rationum medicarum computo senescit hæc ratio, & nullius est valoris. Etenim hæc in junioribus obvia phænomena, effectus sunt non hujus ætatis; authuic ætati propria, sed causæ alicujus adventitiæ, contra vero senibus accident per ætatis, nimirum senectutis rationem. Cum itaque hæc senectutis definitio respectibus medicis, & consequenter Dissertationis

meæ

meæ scopo haud satisfaciat, hinc Medicorum potius sequor de senectute definitionem, quod *sit status corporis, in quo homo non tantum externi habitus mutationem, sed actionum quoque vitalium, naturalium & animalium mutationes senectuti proprias subit, consequenter parbematis, & morbatis afflictionibus senectuti propriis magis obnoxius redditur.* Vel: *Senectus illa ætas est, in qua vires habito respectu ad annorum copiam ordine naturali magis, magisque imminuantur & corporis habitus decrescit.* Hinc senectutis formalitas est defectus virium.

S. V.

Senectus in se spectata ante secula laudibus ornata, & de cothurnis tragicis celebrata fuit. Vocant LX. οφότατον χρέον. Mens & rario & consilium in senibus est. Respectibus vero medicis satis invisis notatur nominibus, quod *continuus sit morbus*, quod sec. GALEN. & AVICENNAM *senum dispositio non absolute sanitor*, quod sec. SENECA & GUEVARA M. *ram morbus insanabilis*, vid. Dn. PRÆS. *Diss. de Senectute viridi*; quod sit *mala ætas sec. AFRANIUM* & quæ sunt alia. Respectu habito ad senum *venereum*, turpis senilis amor habetur. *Est in canitie ridiculosa venus*, PLAUTUS in Mercatore, *senem pictum amatorem*, vocat. Et JCTI de senum votis primis, præsertim secundis aeturi, naribus utuntur, & indulgent, quod *sponsa puella certissimum seni sepulchrum*, G. A. STRUVII Tract. de jur. & privil. Senectut. SCHOEPP. Tr. de jur. Senum; quod *senectus tam opta sit nuptiis, quam bruma messibus*, HARPR. ad pr. l. de nupt. n. XXVII. & quod *senes de tumulo potius quam thala-*

thalamo, & funeralibus potius, quam facibus nuptialibus solliciti sint. - Quare **AENEAS SYLVIUS** Papa post factus **PIUS II.** dictus non immerito: quid est mulier? - Senum mors. Imo tam vulgatissimum quam verum est dicterium, in senum nuptiis saepe aures obstrepens: Es ist ein Freuden-Pferdchen geschwinder zum Gottes-Aker ic. Cum vero circa senum nuptias pro objecto habeam respectus medicos, hinc pro ratione Thematis: *an senum nuptiae futurae sint secundae;* nec adfirmando, nec negando responderi potest, sed quæ sequuntur, necessario præmittenda esse puto.

§. VI.

Dantur enim senes, qui *viridem experiuntur senectutem*, ubi nec tarda senectus debilitat vires animi, mutatque vigorem; Senes, qui virium robore, animi alacritate, actionum naturalium, vitalium, animalium, vigore, aspectu externo rubello, & vegeto, aphrodisiis operibus, clinopali, castissimis amplexum conjugalium ignibus, aut juvenes aut mediae aut consistentis ætatis viri sunt, aut, quibus senecto corpore, senectis membris animus juvenilis est. Dantur vero etiam senes, qui *enervi*, exfucci, elumbes, actionibus prædictis debiles, in venerem torpidi, inanes in veneris arena athlete, ubi longa coitus oblivio, & ubi ad certamen deveniunt, incassum furiunt, ubi difficile est **JUVENALI, LUCILIO**, satyram non scribere. Sed ulterius in decidendæ quæstionis præmissis procedendum.

§. VII.

§. VII.

Semen ex arterioso sanguine, secernitur. Arteriae enim spermaticaæ in processibus peritonei in scrotum descendunt. Hæ in tenuissimorum vasculorum, & tubulorum capillarium myriades explicatae testes constituant, ibique semen secernunt, quod deinde progreditur ad epididymides testibus incumbentes, ex his per vas deferens ascendit ad vesiculas seminales, ubi colligitur, asservatur, & suo tempore per harum ductus excretorios in urethram hiantes ejaculatur. Ut autem ex modo secretionis mirabilis hujus laticis indoles eo luculentius patescat, sequentia adhuc adjicienda sunt.

§. IX.

Tenuissima est vasorum illi secernendo destinaturum diametrum. Arteriae enim spermaticaæ in innumeros tandem ramulos, tenuissimos canaliculos, capillamenta subtilissima, vel substantiam villosam abundant, quæ infinita sensibus apparent, & intestinulorum more contorta, sec. BE L L I N I calculum triginta ulnas Florentinas longa sunt; & tamen per illorum anfractus, meandros eluctatur. Nunc autem tantum fluidum tenuissimum per tenuissima vasa fertur, quod ipsorum diametris responderet, p. lemm. physic.

§. IX.

Hoc longo ductuum itinere, attritiivi motus operante subtilius evadit semen. Sanguis enim arteria spermatica exceptus lente movetur, circa corpus pyramidale retardatur, parte crassiore rubra per canales

les in venas hiantes orbatur, lentissime movetur; semen fieri incipit; in testium angustiis, gyris, recessibus fere stagnat, in ductibus Highmorianis fovetur, haeret, crassescit, tardissime movetur in epididymides, earum complicatione iterum fovetur, stagnat quasi, elaboratur; tandem repit in vas deferens primo fungosa materia factum, ibique angustius, sensim patentius, deinde sinuosum, angustius rursum, inde in ejus sinuosis recessibus colligitur, quiescit, fovetur; tum in anfractibus cellulosis vesicularum seminalium reconditur, quiescit integre, crassescit, magis albescit, fovetur, ac in summam suam perfectionem elaboratur. Vid. plur. BOERHAAV. Institut. Med. s. DCXLIX. REGN. de GRAAF. Tr. de genital.

§. X.

Hisce præmissis rectius *seminis definitio* datur. A priscis varie semen definitur, v. g. quod *secedat ex torso corpore*, DEMOCRIT. & HIPPOCR. l. π. γονής, quod sit *mistura ac temperatura ab omnibus animæ facultatibus avulsa*. ZEN. & PLUTARCH. alii alter. Licet vero illorum definitiones sint incompletæ, omnes tamen in hoc convenient, quod hoc ejaculatum nobilem notet corporis jacturam. Est vero *semen maris lymphæ nutritiæ portio purissima, tenuissima, gelatinosa*. ROLFINCCI de semine definitio tropica magis, non tamen a veritate ab ludens, est, quod sit *Q. E. Flo. atque tremor sanguinis*, LOMMIUS de *tuenda valetudine*: quod sit *sincerior humorum particula, caloris, spiritusque vitalis plenissima*; B. F. R.

F R. HOFFMANNUS *Diss. de morb. ex nimia & in-*
tempistica venere oriundis: quod sit pars sanguinis deliba-
tissima, & flos sanguinis, vid. etiam syst. med T. I. p. 390.

§. XI

Hinc summæ activitatis, & spirituascentiæ li-
 quor est, quod præter secretionis modum §. IIX.
 IX. probant *notabiles & animi & corporis mutationes* in
 illa ætatis periodo conspicuae, quæ *pubertas* dicitur.
 Non tantum actionibus corporis robur accrescit,
 sed & menti vigor accedit. Omnia contraria in vi-
 rum secesserunt. Idem effectus animantium sequitur ca-
 strationem, quibus multum roboris decedit.

§. XII.

Hæc summa seminis activitas *circuiteu repetito*
augetur. Constat enim ex principiis anatomico-phy-
 siologicis, quod semper seminis quid resorbeatur in
 vascula venosa pyramidalis corporis, aut in venulas
 vesicularum seminalium, aut in vasa Lymphatica.
 Probatur hoc *experimento Glissoniano.* Aer enim in
 vasa deferentia ope tubuli insufflatus non modo ve-
 sicularas semifinales & vasa lymphatica in abdomine fi-
 ta, sed & simul ductum Pecquetianum flatu disten-
 dit. Scitur ex hoc, quod arctus satis fit nexus ve-
 sicularum inter semifinales, & totum vasorum Lympha-
 tiorum systema. Semen itaque redux factum, re-
 petito circuitu resurgit melius; hinc toti corpori
 robur, vigorem conciliat. Ex quo simul apparet,
 quod semen, præunte sic B. H O F F M A N N O , li-
 quor sit non tantum procreandæ soboli, sed & vi-
 ribus

ribus tuendis, custodiendis, instar medicinæ confortantis & balsamicæ, destinatus.

§. XIII.

Et sic facile quisque dabit, sufficienti ratione niti calculum, quem ROLFINCIUS de seminis habitu ad sanguinem subducit, quando dicit: *Plus decedit homini, effluente uncia seminis, quam si L. educantur unciae sanguinis.* Et AVICENNA *L. de animali.* Si quid spermatis supra, quam natura toleret, coitu proficiat, obest magis, quam si quadragies tantundem sanguinis emanarie. Et GLISSONIUS *Anatom. hep. C. XLV.* Exiguum seminis dispendium plus damni infert spiritibus, ac se vigeses tantum sanguinis derivatum est. Et LOMMIUS de tuenda sanitate: *Inmodico concubitu profunditur sincerior humorum paricula caloris, spiritusque vitalis plenissima illius jactura tanto magis, quam effusus sine modo sanguinis corpus afficit, quanto semen illo calidius, atque elaboratus est.*

§. XIV.

Nunc mirum nemini videbitur, qui fiat, ut tam multis, tamque gravibus, gravissimis damnis nimis seminis profusio corpus maceret. Quam multa de hac re Medicorum prostant testimonia. Non tantum in genere omnes corporis actiones laedit cum summo infecuturo virium lapsu, sed & morbis variis indole & gravitate differentibus viam sternit, ita ut pleno agmine irruant. Etenim ex nimio veneris usu appetitus prostratio, nausea cum ventriculi subversione, & aliae primarum viarum laesiones. Crebrior coitus vim infert memorie, qua de re exempla pro-

prostant apud RIEDLINUM Lin. Med. anno 1697.
Menj. Jul. obs. 1. ingenio & judicio, teste PHIL. SAL-
 MUTH. *Cent. 1. obs. 61.* Sensus externi exinde gravi-
 ter luunt, hinc aurium tinnitus, oculorum caligo,
 imo cæcitas, uti hoc testatum faciunt PAULLINI
obs. med. phys. Cent. I. obs. 64. & M. N. C. Dec. II anno 5.
 App. MOEBIUS Physiol. PANAROLUS *obs. med.*
Pentecost. 2. obs. 6. & 28. Et cum cestrum venereum to-
 tum nervorum sistema in motum vehementem cieat,
 observationum fide constat, quod immodicum ve-
 neris usum apoplexia secuta fuerit, vid. HENR. ab
 HEER *obs. 9.* it. mania, SCHENCKIUS *obs. med.*
L. I. epilepsia, HENR. ab HEER *obs. 18.* LÆL. a
 FONTE *in consult. med. 95.* & PLIN. L. VII C. 53. Hi-
 stor. nat. refert, CORNELIUM GALLUM, TIE.
 ÆTERIUM, Equ. Rom. *in ipso actu* venereo fuisse
 suffocatos; ALEXANDER BENEDICT. L. XXIV.
de curandis morbis c. 2. pluribus exemplis idem testa-
 tur. Conf. etiam TIM. a GÜLDENKLEE L. II.
cas. 17. ZAC. LUSITAN. Tom. III. sub coitu mor-
 tuorum exempla referunt. SCHURIGIUS *Sperma-*
tol. SCHENCKIUS L. IV. *de coitu. obs. 9.* GARMAN-
 NUS *de mirac. mortuorum L. I. Tit. XI.* Plura vid. in B.
 HOFFMANNI *Diff. super cit. de morb. ex nimia venere*
oriundis. Est vero nimius veneris usus omnibus indi-
 scriminatim subjectis infestus, attamen duplionis qua-
 si pœnam subeunt ratione constitutionis a nativitate
 debiles, ratione ætatis libidinantes impuberes, juve-
 nes. Cum enim natura in hac ætatis periodo augen-
 do corpori maxime intenta, ii vero manu hymane-

C um

um ducendo, aut congressus libidinosos depereundo subtrahant, quod est pars sanguinis delibatissima; §. IIX -- XII. qui aliter fieri potest, quin toti corpori suffuretur robur, & ilias morborum tam gravissimorum & fœtidissimorum accersatur. Et in hunc censum etiam veniunt *Senes*.

§. XV.

Et sic secundum principia præmissa, nunc applicanda demonstratu facile est, an *nuptia Senum*, præfertim *secundæ sint secundæ, nec ne?* Quaritur *anon plone senibus nuptiæ dissuadendæ?* Jcti passim *Senum* matrimonia dissuadent rationibus magis juridico-politicis ducti. Unum alterumve, quod opponunt argumentum commemorare licet. Dicunt nimis, *prolem senum Reipublicæ esse inutilem*. Cum enim senes per ætatis rationem virium defectu laborent, virtus vitalis & prolificam jam emori incipiat, vel tantum semen frigidum, tenue, languidum habeant, liberos imbecilles, valetudinarios, imo bardos, tardos, fungos, cucurbitæ caput habentes progenerent. Deinde cum in illo ætatis articulo liberis operam darent, quo de supremis potius, quam thoro eos cogitare oporteat, hinc ejusmodi liberi *educationis*, cum reliqua vita expectatio ab illa pendeat, *beneficio privarentur*, & quæ sunt alia. Sed mitto hæc, reversus ad quæstionem propositam. Sunt nimis *Senum nuptiæ raro secundæ*. Si sunt *raro secundæ, quibusdam* tamen secundæ esse possunt. Secundæ esse possunt senibus, sene&tute viridi, & vegeta gaudentibus, quorum descriptionem dedit §. VI. Cum enim

enim hi senes ob vigorem omnium corporis aetionum generandæ genituræ virili apti, debito conjugali praestando etiam sufficiunt citra virum dispendum. Secundæ esse possunt senibus, quilaute, & o-pipara diaeta, vietū pollucibili, vita optata fruuntur, & a valenti materia, pro fortis ditionis ratione, partium robur acquirunt, ita ut deinde genitali officio eo melius satisfacere possint. Secundæ esse possunt Senibus, qui immunes ab omnibus iis adventitiis calamitatibus, quarum infr. in §. XVII. mentio facta est. Monendi tamen sunt, ne ad libidinis satietatem conjugibus abutantur, sed modum, qui omnibus aetatibus commendandus, servare scient, ne viribus facile causulis fisi, cito se coeundi potentia privent, & variis noxiis ansam præbent.

§. XVI.

Sed plurimis minus secundæ sunt, & tragicos plerumque fortiri solent exitus. Senectus enim per definitionem supra §. IV. datam, est ille corporis status, in quo homo actionum naturalium, vitalium, animalium mutationes senectuti proprias subit. Haurum actionum mutationis senectuti propriæ formalitas consistit in imminuto & deficiente partium solidarum labore tonico, ac inde dependentibus aetibus se- & excretoriis impeditie succendentibus. Hinc calor naturalis & appetentia minuuntur, habitus corporis flaccidior fit, vires fatiscunt, actionum vitalium vigor decrescit, succedit sensim increbescens partium atonia, ad actiones animales quod attinet, habescunt. Hinc etiam senectus in genere ob virum

C 2

defe-

defectum per se & hujus ætatis rationem non tan-
tum in morbos quam maxime prona, sed & morbo-
rum turba stipatur, quorum integrum catalogum
B. STAHLIUS in *Diss. de Senum affectibus contextis*,
quales sunt, ut aliquos saltem enumerem, cachexia,
calculus renum & vesicæ, scorbutus, stranguria,
tenesmus, malum ischiadicum, gonagra, maras-
mus, atrophia, mictus cruentus, flatulentiae, ru-
etus, colicæ, corporis languor, inquietudo, grave-
dines, coryzæ, cum gravitate capitis junctæ, tu-
fes valde humidæ, pruritus, scabies sicca, stran-
guriæ, urinæ difficultates acerbissimæ, vesicæ arro-
fiones, urinæ mucosæ, lentæ febres, quæ marasmi
nomine veniunt, tabes, apoplexia, auditus gravi-
tas, visus hebetudo, memoria abolitio, paralysis
&c. Cum vero in senibus per ætatis rationem o-
mnes actiones langueant; cum porro seminis effusio
sanguini subtrahat, quod est flos sanguinis & pars
illius delibatissima, ita ut totum corpus inde facile
adisciatur, per superius demonstrata, hinc superven-
iente venere omnes haæ actiones jamjam ruinose
in deterius ruunt. Cum adhuc porro hicce virium
defectus cadat etiam in organa semini præparando &
conficiendo destinata, hinc senes juxta ARISTO-
TELEM L. I. de generat. animal. C. 18. it. L. V. C. 14. &
L. VI. C. VI. de Histor. animol. semine carent, quia eo-
rum natura non satis concoquere potest, quod vero
promiscue non statuendum; sed parcum tantum-
modo semen præparent, hinc sit ut impetuose sub
coitu liquoris genitalis excretionem urgentibus,

cor-

corpus enervum reddant, illiusve vires dilapident, & prædictos morbos, in quos senectus alias jam satis prona, citius, facilius allecent. Speciatim vero attingendi & recensendi sunt morbi ex senuum venere, præsertim nimia nascentes, ut miętus cruentus, malum senectuti alias valde familiare, & molestum. Ex observatoribus enim constat, quod abusus veneris in senibus huic malo ansam præbuerit, & ratio æque in promtu est. Cum enim miętus cruentus a sanguine ad vasa emulgentia copia plus justo majori appellente, & inde congestione in renibus facta, natales suos ducat, & renes cum organis spermaticis consensem a-lant, in proclivi est judicare, quod facile prædictus effectus a coeundi frequentia progignatur. Cum præterea senilis ætas in viarum urinariarum affectus prona, hinc ex eadem ratione ob concumbendi libidinem, urinæ difficultates, spasmos vesicæ urinariæ, ardoris urinæ, ischuriæ, dysuriæ periculum incurunt, aut eosdem morbos in se accersunt. Imo dolor gravis lumbis incumbit cum mejendi difficultate & tenesmo, cum enim veneris stimuli sanguinem ad loca genitalia, & propter consensem ad loca sedalia allecent, pariles consequuntur effectus, uti M. N. C. obf. 16. ejusmodi exemplum de hæmorrhoidario L. annorum allegant, qui post nuptias hosce dolores expertus est. Supra mentio injecta fuit, quod libidinosos congressus depereunte totum sensum externorum ministerium turbent. Et hoc præsertim in senibus evenit. Etenim inter damna senilis veneris est susurrus aurium, oculorum acies obfuscata.

ea, vid. Aut. super cit. §.XIV. Datur paraly sis pe-
nis cum consuetæ erectionis defectu, quæ abusu ve-
neris, & inconsulto aphrodisiacorum & diureti-
corum usu inducitur. Et certe! Senes desiderio
coœundi sæpe vieti hujus affectus periculum subinde
incurrunt, aut actu eundemmet sentiunt. Et quæ
sunt alia nimirum veneris in senibus damna exemplorum
appositione si plus justa longior esse velim illustran-
da.

§. XVII.

Omnium maxime nimirum veneris damna *cirius*,
facilius, *gravius*, *periculosus*, per individualitatis ra-
tionem, *impendent iis senibus, qui a nativitate debiles, te-*
nervi, sensibiles fuerunt, aut a causis variis adventitiis
tales facti. Ad priorem classem referuntur, qui
a parentibus infirmis, morbidis, vel in senectute con-
stitutis, aut post morbos perpetuos, aut in ebrieta-
te, aut ira percitis, & paulo post in amplexus uxo-
rios ruentibus sati, & indulgentius educati fuere; ii
enim fragilem & mutabilem experiuntur sanitatem,
morbis patent, a rebus externis facile afficiuntur, &
per omnia a levi moderaminis negligulacionem pa-
tiuntur. Ad secundam classem referuntur, qui in
precedentibus ætatis periodis veneris casta securi fuerunt,
largiori seminis profusione præmature remollesce-
re cœperunt, in illicitos amores astuarunt, lascivis
desideriis vires depascentibus animum cruciati sunt,
& quæ sunt alia tortura, quibus illiciti amoris secta-
tores se subjiciunt. Qui *alio dissoluto vivendi genere cor-*
pus per vitam enervarunt, & in secunda valetudine ad-
ver-

versæ præsidia perdiderunt, qui prægressis ætatibus
in rerum sex non-naturalium usū crebriores admi-
serunt errores, in primis ataxiis diæticis indulse-
runt, promte pocula appetiere, & gulosisimo tra-
etu totum haurire fætile non dubitarunt, frequen-
tes crapulas exhalarunt; vel adhuc ebriosi sunt, & vi-
no selargiter subinde invitant; qui *morbis prægressis e-
nervari*, sive fuerint acuti, sive chronici, sive fue-
rint morbi, qui seculi insanientis ulcera, ut gonor-
rhœa, & insuper præpostere curata, aut alia affe-
ctuum venereorum supplicia, quibus ceu erinnybus
& domesticis furiis corpus devastatur. Aut qui *va-
letudine adversa* adhuc deinentur, sive sint hypochon-
driaci, phthisici, arthritici, podagrici, tabidi, ca-
chectici, crasso sanguine redundantes, aut alii. Qui
nimia cura se strangulant, & micerore præsertim diu-
turniori adficiuntur. Qui *studiorum intemperantiae de-
diti*, fixis & profundis meditationibus in concubiam
noctem protractis inhærent, vel aliarum lucubratio-
num fuliginem bibunt; aut qui litterishieroglyphi-
cis, aut illa arte, quæ certis notis, signis, characte-
ribus sensus mentis effingit, quam vulgo dechristi-
ren vocant, desudant, mentemque fatigant. Qui
valetudinarii sunt, & corpus causarium trahunt, qui
in sensu medico male sani, frequenter & facile ægro-
tant, & tenui valetudine fruuntur. Qui *bernioti* sunt,
& forte alia viscerum labe laborant. Qui *Zelotyphi*
sunt, & injurias mussitant, odia concoquunt; ex Ze-
lotypia enim nascuntur assidue rixæ, improperia,
& alia incommoda. Hæc omnia in omnibus præser-
tim

tim vero in senibus, & omnium maxime in senibus
in proxime præcedentibus descriptis, infuperque
veneripetis, morbis senio familiaribus, proritandis
ansam præbent, vires corporis limant, easque ex-
hausto substantifici nutrimenti effluvio facillant, sene-
tutem præcipitant, & si dicendum, quod res est,
experienciarum quotidianarum suffragio, senes Libitinæ
consecrant.

§. XIX.

Absoluta brevi hujus Thematis pertractione
trigam quæstionum medicarum adhuc subjungere
licebit. Prima esto: *An Medicus in consilium accitus
indicare ingenue teneatur, an nuptia Caji, præsertim se-
cunda futura sunt secundæ, nec ne?* Resp. Medici offi-
cium est non tantum sanitatis amissæ restitutio, sed &
præsentis provida conservatio. Hoc sit congruis
remediis, illud consiliis individuo curate & provi-
denter accommodatis. Medicus itaque in Caji casu
consilii auctor, omnium circumstantiarum in præ-
senti tractatione commemoratarum rationem ha-
beat, quæ ipsi sui consilii præmonstrant rationes, ita
ut suadendo, aut dissuadendo consulturi bono pro-
spicere possit. Quæ consilia & monita senibus ma-
trimoniūm inituris dari possunt, hæc sunt: Ante
nuptias non in balneum, ut moris est, descendant,
sed corpus alvum ducentibus everrant, & superfluis
liberent, iis in subsidium vocatis; quæ partium ro-
bur custodiunt, conf. etiam B. H O F F M A N N. *Diss.*
supr. cit. Postea ipsis moderaminis custodia maneat,
quæ dñe supr. mentio facta.

§. XIX.

§. XIX.

Altera est: *An Medico liceat, senibus matrimonium iniurir, aut matrimonio jamjam contracto, satyriaca, aut sic dicta Aphrodisiaca suadere & praescribere?* Profecto! a peccato excusari haud possit Medicus, si lucelli gratia ceu^t *εἰς τηρητὴν ἐμπορευομεν*^ς, undiquaque valentibus, Hectoribus venereis satyriaca praescribe-re audeat, ut majores insaniendi vires acquirant. *Ius Canonicum* severe statuit in Medicos corporum, qui corpori salutaria saluti spiritali vero contraria sua-dent. *Decret. Greg. L. V. Tit. 29. Cap. 13. de panis.* & re-miss. hæc extant verba: *Medici vocati ad infirmos non quicquam persuadere debent pro salute corporis, tendens in animalium periculum.* Cui *Sanctioni Consilii Latera-nensis P. P.* excommunicationis comminationem ad-jecerunt, dicentes: *Cum anima sit multo pretiosior cor-pore, sub interminatio anathematis probibemus, ne quis Medicorum pro corporali salute aliquid agroto suadeat, quod in periculum animæ convertatur.* Multo magis hujus Juris interminatio convenit in Medicos, si libidinantibus, drillopotis, lustronibus, & aliis hu-jus commatis hominibus aphrodisiacorum usum concedant, ut eo magis illicitum aphrodisium ex-ercere valeant. *Quod vero senes meæ Dissertatio-nis attinet, res Medicis, quibus sanctiora præcor-dia, sic expedienda esse videtur.* Cum in censem aphrodisiacorum veniant certo respectu omnes lau-tiores cibi, sine culpa, si cetera manent paria, su-muntur, præsertim cum senes, qui famelica quasi circumferunt membra, alimenti πολυτροφ^ς indigi-

D sint,

sint, hinc secundum *Hieronymum non usus rerum, sed libido usentis in culpa est.* Quod vero ad satyriaca attinet, quæ strictius sumta, pharmaca sunt, respectibus moralibus æque ac medicis majorem exposcent circumspetionem. Si itaque senibus succurrentum, ut debito conjugali comparti reddendo sufficiant, usuris licitum, & Medico honestum est. Variæ indolis ejusmodi pharmaca sunt. Inter res desperitas confectio illa recensenda, quæ ad conciliandam in senibus venerem præstantissima a MARSILIO FICINO L. II. de vita producenda Medicina Magorum appellatur, cuiusve ANTONIUS le GRAND in curios. rerum abditar. perscrut. p. 210. mentionem facit. Prudenti autem delectu opus est, sive sint interna, sive externa, in forma unguenti, quæ PLINIUS *unguentia meretricia* vocat, ne illorum usus tragicos sortiatur eventus. Ex observationibus medico-præticis constat, quod permulti senum pessime satyriacorum usu in corpus consuluerint, affectibus viarum urinariarum pessimi ominis anſam præbendo, imo horam decretoriam accelerarint. Hinc multo tutius est, diæteticis auxiliis defœetus supplere, ut alimentis largiter nutrientibus, iusculis, brodiis. Huc spectat potus ille Mexicanus, Succolada, vel Caffée Succolada dictus, qui πολυτροφιας laude notus, veneris stimulos acuit, & sopitos amoris ignes ciet. Si vero senes ob concumbendi frequentiam virium lapsum sentiant, contra illum pro testæ fragilis conditione faciunt largiter nutritia; ex medicamentis analeptica præfertim palmam præcipiunt, quæ

quæ ex cinnamomo, cortice citri, melissâ, ambra,
amygdalis dulcibus, ovis & certis aromatibus para-
ta prostant.

§. XX.

Tertia quæstio est: *qui siat, ut senum non pauci
eximius veneris stimulis*, contra suetam senii rationem,
agitentur, ut satyrion, aut libidinantium olim more
vitreo priapo bibisse videantur. Evenit hoc præ-
sertim in senibus cachecticis, scorbuticis, nephriticis,
arthriticis, podagricis &c. Ratio sita est, in
senectutis ratione solidorum, fluidorum & actionum
formalitate. In senibus enim est solidorum rigiditas,
vasorum capillarium angustia, pororum stri-
atura, omnes actiones languent cum toto excretio-
num negotio. His positis, experientia etiam teste,
parca valde in senibus sudoris eruptio, vel difficulter
sudant, perspirabilis materiae Sanctorianæ imminuto,
hinc aliter fieri non potest, quin partes excrementi-
tiae, quibus diffunditis, & eliminandis natura varia
paravit emunctoria, & emissoria, in corpore resti-
tent; hæc partium rejectanearum in corpore restitu-
tio morbos causis his respondentes excludit, ut hu-
morum dyscrasiam, scorbutum, pruritum, scabiem
sicciam, succos multis salibus subtilioribus, stimulan-
tibus scatentes, vel ad salinam scorbuticam, salino-
sulphuream indolem pronos alunt. Quod autem
humores sic descripti talem habeant in corpus actio-
nem, ex modo operandi multorum aphrodisiaco-
rum, & purgantium, ut helleborinorum, colocyn-
thiacorum probandum, quippe quæ subtilem acre-
dinem

dinem in sinu suo recondunt, qua huncce effectum
exsequuntur. conf. T I M. a G U L D E N K L E E, Conf.
so. S A L M U T H Cent. I. obs. 71. B. H O F F M A N N.
Diss. supr. cit.

§. XXI.

Ultimo loco *feminarum verularum nubentium*
mentio adhuc injicienda. Cum sexus sequior tan-
tum periculum non incurrat, quod maribus a nimia
venere, & maribus senibus præsertim incumbit; hinc
brevissimis tantum commemorandum, quod si quæ
pathematibus hysteris adfectæ libidinose in rem ve-
nereum ferantur, hisce malis fovendis, exaspe-
randis ansam præbere possint.

T A N T U M.

NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE
DOMINO CANDIDATO
SALUTEM RESQUE SECUNDISSIMAS OPTAT
P R A E S E S.



Ecunda Matrimonia Senibus minus se-
cunda, ast magis fatalia esse, Inaugura-
li T U A Dissertatione significare & con-
firmare contendis. Videris mihi dura
verba hac assertione dicere, afflictis Senibus, in re-
liquo vitæ decursu, bonum & tranquillum rerum
succesum atque eventum sperantibus, metum in-
cute.

cutere, si non plane Pseudo-Prophetam **TE** exhibere. Interim arduam asperamque hanc prædictionem emollire & limitare cogitas, quando iteratam talem nuptialem copulam raro felicitatis & prosperitatis ornamentis præditam esse, adstruis. Id quidem veritati facti convenit, quod tale novum jugale vinculum cum reliquis humanis actionibus auctoribusve æqualia patiatur fata, dum non semper res votis & bonis expectationibus respondet. Equidem principalem Matrimonii finem mutuum adjutorium esse arbitror, quia Jehovah **DEUS** dixit: Non bonum est, hominem solitarium esse, faciam ipsi auxilium pro ipso: inde elucescit Deum primo homini solitudinem non conducere, sed socialitatem convenire, eo ipso monstrasse: ideo sociam auxiliatricem seu adjutricem creavit, costam hancque ad Adamum adduxit, & ita hanc socialitatem auct. adjutorium introduxit, postea vero illis conjugatis benedixit, dixitque fructus facite & multiplicamini, & hæc fuit benedictio suppletoria, consequens aut accessoria, qua præcedens mutuum adjutorium addauit, inauguratum & ornatum fuerat: Quidni igitur Seni grata talis socialitas jucunda, secunda & fructuosa existere poterit! T u æ quidem contemplationis argumentum est, quod viduis Senibus ob imbecillitatem ætatis altero matrimonio cohabitatio carnalis prolifica valde præjudiciosa, eorumque sanitati ac vigori naturali perquam detrimen-tosa sit, ut propter senilem cupiditatem facile lethiferum virium dispendium patientur: Sed turpis senilis amor: & ut **N AZIANZEN U S** inquit: *Turpe est senescere astarem, & non senescere lasciviam;* vel ut

VALER HERBERGER in der Evangelischen Herz-
Postill P. I. Dom. *Judica p. 259.* a de adulterio Davidis
judicat: Heißt das mit gutem Erempel der Jugend vor-
leuchten? Er ist nicht ein junger Thümpling, sondern gehet
schon auf der Grube; das ist gleichwohl Schande, wann
auch graue Häupter ihre Ehren-Jahre mit diesem Roth be-
sudlen. *Ast dum multis Senibus lasciva animi feroci-
tas infracta & infrigidata est, ira reliquo metuen-
do periculo Medici salutaribus consiliis prævenire
possunt. Sed variæ aliæ causæ, non quidem mo-
rals, politicæ & œconomicæ, secundas Senum,
utriusque sexus, nuptias vitæ & sanitati infensas red-
dere possunt, e quibus imprimis mutationem dia-
tex, ordinis domestici, consuetudinis, imprimis au-
tem morum, inclinationum, & affectuum patheti-
corum nominare, & accusare possim: quippe quæ
causæ eximiā potestatem corpus humanum, &
œconomiam vitæ alterantem habent; quas propte-
rea Senes exacte ordinare debent, si secundæ nup-
tiæ ipsis secundæ esse debent: Etenim tali matrimo-
nio, aut duo subjecta senilia, aut unum senile, al-
terum juvenile, vel etiam in media ætate constitu-
tum junguntur, sub quo connubio varia contin-
gunt, quæ, quippe nova & inusitata, ex utraque
parte non raro ægre, adverse & moleste toleran-
tur, indeque senili vitæ facile damnum inferunt.
Hac occasione, qua *Dissertatio T U A* Senibus ma-
ribus secundarium matrimonii finem, videlicet mul-
tiplicationem profapiæ facile viribus superstibus
naturalibus præjudicioram declarat, reminiscor illius
quæstionis, quam Theologi & Politici movent:
*Utrum in benedictione & copula Sacerdotali votum Genes.**

I. 28.

I. 28. Crescite & multiplicamini, cum annexis, pronunciandum sit: non me fugit D. ANDREAS KESLERUM in *Theol. Conf.* c. 43. eandem affirmare; contra vero mihi etiam innotuit D. FINCKIUM in quæst. illustr. Sect. II. qu. 21. illam negare, conf. D. MULLER in *disp. de Hierologia* Sect. IV. Th. XI. Et cur frivole cum verbo divino ludamus, quando e naturalium qualitatum conciliatione dijudicare licet, aut senem marem, aut foeminam senilem ad hoc multiplicationis negotium frigidum, languidum impotensque esse subiectum; quare cum LUTHERO, teste MATTHESIO in *Historia Lutheri Conc.* 12. p. 147. sentio, qui hoc actu fonsacerdotali in conjugio senilium personarum praedicta verba omittenda esse, consultius esse judicavit. Huc etiam referto judicium B. GERHARDI in loc. de *Conjugio* f. 233. p. m. 353. quando de conjugio Senum capularium, id est, capite in terram defixorum, aut rigidis ac contrariatis pedibus, ut & incurvato ac gibboso dorso atque cervice incidentium sentit: In ipsi a natura moveri videntur de tumulo potius, quam de nupciali thalamo sollicitos magis esse, ac de funeralibus potius, quam nupcialibus facibus cogitare debere. Quid magis præpostorum est, quam quo minus via restat, eo plus viatici querere, dicebat CICERO in *Catone Maj.* de senectute. Sic quid magis præpostorum censendum, quam ætatis spacio ad extremam usque lineam decurso ad carceres quasi redire & de vita subsidiis sollicitum esse. Multa quidem TUIS meditationibus addere potuisse, dum conspexi te nimis in alienum campum egressum esse; annecto saltim judicium EI. GERHARDI, quod DEDEKENNUS consil. *Theol. Vol. III. Lib. 2. Sect. I. Num. V.*

p. 72.

p. 72. seqq. sub quæstionis resolutione : *An sint Sexum conjugia probanda*; allegat. Interea honesto ac laudando T U O instituto applaudo , dum non solum per plures annos Stadium Medicum percurristi, sed salutaria dogmata, commodo publico apprime quadrantia, laude digna industria, collegisti, insuperque profectus T U O s doctos, variis documentis, specimini bus & approbationibus publicæ cognitio- ni & commendationi exhibuisti. Laudo præterea conatus T U O s plus ultra proficiendi & pulchrum illum , quem HIPPOTRATES celebravit thesau- rum scientiarum in foro Medico adaugendi. Di- gnitates & Immunitates , quas nunc velut splendi- dum studiorum T U O RUM præmium ambis, sint T I B I faustæ atque fructuosæ; & qui non modo in solennibus Examini bus inclito nostro ordini pe- num cognitionis T U E prodiisti, sed & selectum hoc Inaugurale thema secundis successibus explicasti, ita de publico hoc Honorum, quod suscipis , symbolo, annuente & favente animo gratulor, quo magis testem me oculatum exhibere valeo, multas saluber rimas institutiones in Medico studio constan- ter T E egregia excepisse assiduate. Faxis coelestis re- rum humanarum Director, ut porro non modo sci- entiaz T U E laudabile augmentum, sed & negotia medica artificialia T U A saluberrimos exoptatissi- mosque nanciscantur successus arque fructus. Qui- bus impetrandi quamlibet animi atque corporis firmitatem integritatemque omneque vere secun- dum candida propensione apprecor. Vale. Dab.

III. Iduum Junii A.R.S. cI510ccxLIII.

¶¶¶¶¶

He 156. d.?

ULB Halle
001 876 392

3



TA 501
(SA-21 fehl.)

